PROTEVS

DE CLADE

GEDANENSIVM INSIGNI IN PRVSSIA, CIRCA PAGVM ROKITKI, DIE XVII. MENSIS, APRILIS A NOSTRIS RECENS ACCEPTA,


X

IOACHIMO VOLSC.
Bilscio Equite POLOno
Autore.

ANNO DOMINI
M. D. LXX. VII.



POSNANIÆ
Melchior Neringk excudebat.



ARMA DOMVS ET FAMILIAE CLARISSIMAE FIRLEIORVM.



QVâm clarus nostris hic sit Leopardus in oris
    Firleiûm antiquæ nobile stemma domus,
Non opus est illum multis attollere verbis
    Nil illo Arctôô clarius orbe fuit.
Nam tot præstantes duri Mauortis in armis
    Extulit innumeros ingenioque viros.
Quorum iam totum laus inclyta transijt orbem,
    Eôasque domos Hesperiumque solum.

MAGNIFICO DOMINO D. ANDREÆ FIRLEY DE DABROVVICA CASTELLANO LVBLINENSI, CAPITANEOꝗ; SENDOMIRIENSI & REGNI MILITVM APVD GEDANVM PRAEFECTO.

DANTISCI longo memorandam tempore cladem:
Dixerat ante mari quam meus iste senex.
Cui nam nunc agili calamo transmittere possim,
Descriptam dum animo ritè reuoluo meo.
Non alium inuenio Heroum fortissime FYRLEY
Quam te tam clarum PAlladis arte virum,
Qui non spectator tantum tam stragis acerbæ
Verum etiam multi sanguinis autor eras.
Sanguinis autor eras, & eras pars optima belli,
Multaꝗ; iudicio credo stetisse tuo.
Zborouiusq; Ducum tecum fortissimus omnes:
Partitus curas est reor ille suas.
Accipe tu tibi deuoti domuiꝗ; potenti
Addicti famuli munera parua tuæ.
Et positis armis (quæ iam deponere nunquam
Decreuisti animo vir generose tuo.
Scilicet vt nunquam fugiant de corpore vires
Caniciemꝗ; tuam cassis ahena premat.)
Hæc mea placato iuuenilia carmina vultu
Perlege cærulei nuncia certa senis.
Postmodo non Protei vatis non vllius vsus
Fatidicis verbis Delphicolæque DEI.
Ipse prout fatis sunt omnia gesta secundis
Martia grandiloquo carmine bella canam.
Et vestros tollam hos cantu super astra triumphos
Pierio, quos non auferat vlla dies.

PROTEVS
E CLADE GEDA-
ENSIVM INSIGNI PRVSSIA CIRCA PAGVM RO-KITKI, DIE XVII. MENSIS APRILIS A NOSTRIS RECENS AC-CEPTA.

Ioachimo Volsc. Bilscio Equite POLono Autore.

DECLIVEM curru SOL iam quatiebat Olympum:
Demere purpureis fræna paratus equis.
Cum subitò in medio Neptuni gurgite vates
Cærulea Proteus extulit ora domo.
Marmoreaq; senex lacrymans in rupe resedit,
Totus & vt tremulis cymba tremebat aquis.
Omnis eum vasti circum gens incola ponti
Stabant & Phocæ quas regit ille feræ.
Tum sic suspiciens cœlum murosq; GEDani.
Præscius istius talia cladis ait:
Oceano in liquido properas immergere currum
Phœbe tuum, properes aurec Phœbe, licet.
Cras vultu (vt video) non multum oriere sereno,
Dantisciq; minus mœnibus æquus eris.
Credite Dantisci (si quæ est prudentia vati.)
Crastina lux vobis quod mala multa vehet.
Fidite ne campo medio vix aggere tuti,
Intus vos patria quæso tenete domo.
Quo nimium properas sesque miserrime miles
His cingis telis? cui fera bella paras?

Quo

Quo grauidi currus aut hæc tormenta vehuntur?
In dominum his audes nauibus ire tuum?
Non est imbelli ceruæ contendere tutum
Tygride cum rabida cumq; leone truci.
Frustra Aquilam celerem frustraq; columba lacesset,
Accipitrem, frustra rana resistet Aui.
Sauromatum video pridem sub montibus illis
Stare sua sæuos iam statione viros.
Aduentumq; tuum tanquam agnos turba luporum
Expectare: cohors est minor illa scio.
Sed tamen egregiis longè est præstantior ausis,
Exigui numero; sed fera dextra viris,
Heu date terga dare ô miseri dum terga potestis
Inque precor vestras quisq; redite domos.
Phlægra Giganteis moueat vos clara ruinis,
Non licet in magnos arma mouere Deos.
Cernitis vt cœlum vobis quoq; multa minetur
Tristia, nec venti leuius omen habent,
Existis vestra quoties ex vrbe reuerti
Aspera vos rursus sæpè coëgit Hyems.
Scilicet & cœlum & venti Diuique sinistri,
Et pia vos omnes fata redire monent:
Nec cum Sauromatum duro contendere bello
Gente sed ipsa iugo subdere colla iubent.
Namque & ego memini vestros quoq; sæpè parentes
Olim sic cæsos hoc iacuisse solo.
Nec semel horrenda prostratos clade POLOnum
Dum tentant aruis pellere fortè suis.
Ast illi nunquam Lachica cum gente secundis
Semper & aduersis conseruêre Diis.
Ibimus & totam vertemus funditus vrbem
Qua latitant hostes, improbe miles ais?
Neue magis noceant vinctos ducemus in armis,
Sentiat & nostras Sarmata fortis opes.
Ire equidem libet: ite nocet differre paratis,
Ibis at in damnum, heu perdita turba tuum.

Funera ibi video multis mortemq; parari,
Mors est quo temeri tenditis atra viri.
Cerno spumantes mortali sanguine riuos
Decurrisse tuis ISTVLA diues aquis:
Et passim tumidos hac cæde rubescere fluctus
Atque cruore tetro pingue madere solum.
Cerno cæsorum vestra de gente Solaræ
Millia in angusto multa iacere loco.
Stagna cadaueribus video iam plena lacusq;,
Pleni amnes hominum, plenaq; fossa gemit.
Non vnum nostro genitrix in littore natum
Flebit quem genuit mæstaq; verba dabit:
Ah puer infœlix ah factus es esca luporum,
Alitibusq; feris præda futura iaces.
Non mater morienti adero, non ipsa sepulchro
Imponam corpus, luminaque ægra premam.
Flebunt & teneræ nuptæ, non vna iacebit
In viduo coniunx orba relicta toro.
Forsitan & tempus veniet, cùm finibus illis
Albuerit crebris ossibus omnis humus.
Vomereque in curuo cum verterit arua colonus,
Eruerit putri grandia crura solo.
Dixit & in magnum saltu se protinus æquor
Conijcit immensis ora rigatus aquis.
SOL quoque cæruleas cœlo delapsus in vndas,
Gemmea purpureis vincula dempsit equis.

